

municetur; non rarò, ut eorum caro, aut pulpa per cribrum traijciatur. Exemplo sint nobis Dactyli, qui postquam aceto macerati fuerint, per cribrum transmittendos esse imperarunt Haly loco citato cap. 15. & Ser. c. 16. Inter fructus enumerari Vuam nemini est obscurum, & ideo & ab ipsa, quotiescūque occasio postulabit, acini remouendi erunt. Iubent omnes Arabes ab Vua passa semper acinos auferendos esse: à quorum dictis elicere possumus apud ipsos in usu non fuisse Vuam passam illam, quæ acinis priuata nascitur, cuius maxima copia à Hyacintho ad nos defertur, sed grandem illis præditam; cuius meminit Gal. 2. de Alim. facul. c. 10. sic: *Inter passas præstantiores pingues existunt, corticem tenuem habentes; nonnulli autem, & rectè sanè, è dulcibus, grandibusq. (quales sunt Scybelitides) priusquàm mandant; semina eximunt, eas coguntur in aqua macerare; nam semen facilius sic educitur.* Nec Dioscor. cap. proprio mentionem aliquam fecit de illa acinorum experte, semper enim de ipsis verba habet, interdum vtens illa cum acinis & interdum illis priuata. Gal. verò vtramque commemorauit. Longiorem sustinent decoctionem, quàm herbæ, nisi à Medico tantum desideretur illa qualitas, quæ in superficie residet.

Vua ab acinis mundanda.

Error circa Vuam passam.

Error aliquorum.

De Lignis, et Corticibus. Cap. VIII.

NON rarò & Ligna, & Cortices ad vitæ vsum necessaria exultimantur, quæ interdum à stipite, aliquando à ramis, & quandoque à radice desumun-

C

sumun-

sumuntur. Theophr. 1. de Hist. Plant. c. 4. *Lignum* appellat, quod fissile est; & carnem, quæ omnibus dimensionibus diuidi potest, ut terra. Cortex autem est pars ultima, à subiecto corpore separabilis. Probantur illa, quæ proprium odorem, saporem, colorem, & substantię grauitatem, aut leuitatem seruant. Nos autem nomen Ligni & Carnis confundimus, vnum pro altero desumentes. Auic. lib. 2. Tract. 1. c. 6. decreuit inter ligna virgas desumendas, cùm iam ad integritatem peruenerint, & non inceperint extenuari, & contrahi. Cortices, vt retineantur, eximere conuenit, cùm herbæ suis folijs exuuntur, teste Diosc. in Proœ. Hæc omnia longam desiderant coctionē, nisi admodum odorata, & substantia sint rara. Prius frangantur, & disrumpantur, aut lima in scobem redigantur.

*De Succis eliciendis, parandis, seruandis,
& exsiccandis. Cap. IX.*



VM de Plantis, earumq. partibus narrationem perfecimus, nunc de Succis, qui ab ipsis eliciuntur, tractationē admodum Seplasiarijs vtilem aggredi non grauabor. Hi non tantum ab herbis, ac folijs exprimuntur; sed etiam à floribus, fructibus, ac racemis, necnon etiam & à radicibus, & ramulis, prius non raro aqua, aut alio liquore macerati, vt Dioscor. placet, maximè cap. de Spartio, seu Genista, circa quos hæc considerata, & perpendenda